

ARTICULUS UNICUS.

Utrum intelligere Angeli sit ejus substantia, vel ejus esse?

- 1. Suppono tamquam certum, Angelos intellectuali cognitione praeditos esse. Patet haec suppositio: Primo, quia Angelus est substantia omnino immaterialis, ut disput. 2. ostensum est; immaterialitas autem est radix intellectualitatis, ut docet D. Thomas supra quest. 14. art. 1. & pluribus aliis in locis. Secundo, natura Angelica est liberi arbitrii compos, & perfecta beatitudinis capax: haec autem a natura intellectuali originem habent aut complementum. Tertio, Angelus ad imaginem Dei conditus est; immo perfectiori modo similitudinem Dei participat, quam homo: unde *ignaculum similitudinis*, Ezech. 28. appellatur, ut eleganter expendit Gregorius I. 39. Moral. cap. 18. dicens: *Licet homo ad similitudinem Dei creatus sit; Angelus tamen quasi majus aliquid tribuens, non enim ad similitudinem Dei conditus, sed ipsum seipsum Dei similitudinis dicit: ut quo subtiliter est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius erudatur expressa.* Porro imago Dei in notitia & mente praecipue splendat: unde D. Thomas infra quest. 39. art. 3. probat Angelum magis ad similitudinem Dei esse, quam hominem, quia intellectualis natura in eo perfectior est. Denique Angeli in Scriptura describuntur loquentes inter se, & cum hominibus: omnis autem locutio praesupponit in loquente cognitionem, cum loqui sit exprimere animi sui conceptus; certum igitur ac indubitatum est, Angelos intellectuali cognitione praeditos esse. Unde solum potest revocari in dubium, an per suam substantiam & essentiam, vel per aliquam actualitatem ab ea realiter distinctam, sint intelligentes, saltem respectu alicujus subjecti.
- 2. Partem affirmativam tenuisse videtur Commentator 12. Metaph. textu 52. ubi docuit quod in substantiis separatis essentia & operatio non distinguuntur, ac proinde quod intelligere Angeli est ejus substantia. Ad quam opinionem proximae accedit Durandus in 2. dist. 3. quest. 5. ad 1. asserens quod licet intellectio illa qua Angelus intelligit alia a se, distinguatur realiter a substantia ejus, non tamen intellectio qua seipsum intelligit.
- 3. Dico tamen, intelligere Angeli non est ejus substantia, vel ejus esse. Ita D. Thomas hic art. 1. & 2. & communiter Theologi, licet Valentia ejus rationes non approbet.
- 3. Probat primo: Visio Beatica est quaedam intellectio: At certum est illam realiter distinguere a substantia Angeli; cum nulli creaturae possit esse connaturalis, & multo minus illi identificata, ut in Tractatu de visione Beata ostensum est: Ergo aliqua Angeli intellectio, non est ejus substantia. Idem dicendum est de aliis intellectioibus supernaturalibus, quas Angeli, sive in via per fidem, sive in patria per alios habitus eliciverunt, vel eliciant: ergo certum est plures dari intellectiones in Angelis, quae ab eorum substantia vel essentia realiter distinguuntur. Unde Dionysius de caelesti Hierarchia cap. 2. dividit Angelum in substantiam, virtutem, & operationem. Et Augustinus lib. 11. de civit. cap. 10. ait: *Licet Angelus semper sit sapiens, non est tamen suum sapere; & licet semper sit intelligens, non est suus intellectus & suam intelligere, quia participatione tantum sapientia & intellectus, sapiens est & intelligens.* Hinc etiam a Nazianzeno & Damasceno appellantur Angeli secundaria lumina, ex primario ac sempiterno lumine splendorem haurientia.
- 4. Ex quo deduci potest secunda ratio, & contra Durandum probari, Angelum non intelligere seipsum per suam substantiam. Si enim Angelus esset intelligens seipsum per suam substantiam, & certa objecta per actus & qualitates productas, ejus actus intelligendi non haberent uniformitatem, sed toto genere inter se distarent; alii enim essent substantia, & alii qualitates, ut patet: Sed haec varietas absurda videtur: Ergo & Durandi sententia.
- 5. Praeterea, si Angelus esset per substantiam suam intellectio sui ipsius, esset etiam amor sui per substantiam; haec enim connexa & proportionata sunt, intellectio nimirum & Amor: Atqui Angelus non est essentialiter sui amor: Ergo nec sui intellectio. Minor probatur: Si Angelus esset amor sui per substantiam, talis amor esset essentialiter, ac invariabiliter rectus in Angelo: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet: Tota siquidem substantia Angeli est creata a solo Deo; qui autem a solo Deo sunt, necessario & essentialiter ordinata sunt: Minor vero suadet: Angeli mali non habent rectum & ordinatum sui amorem; cum rectus & ordinatus sui amor, non possit subsistere cum peccato & odio Dei: unde Psal. 10. dicitur: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam:* Ergo in Angelis amor sui non est essentialiter & invariabiliter rectus.
- 6. Tertio probatur conclusio rationibus D. Thomae. Prima est: Si substantia Angeli esset suum intelligere, esset

actus purus, quia sibi identificaret ultimam actualitatem ordinis intellectualis, ac proinde nihil haberet potentialitatis admixtum: Sed nulla substantia creata potest esse actus purus; Ergo substantia Angeli non potest esse suum intelligere.

Dices: Quamvis substantia Angeli non esset in potentia ad intelligere, esset tamen in potentia ad alios actus, verbi gratia ad subsistentiam, vel existentiam, aut ad volitionem: unde cum de ratione actus puri sit omnem profusus potentialitatem a se excludere, quamvis substantia Angeli esset suum intelligere, non esset propterea actus purus.

Sed contra: Quod identificat sibi remotius, debet sibi identificare propinquius: Ergo si Angelus sibi identificet suum intelligere, quod est quid remotius a propria substantia, quam sit virtus intellectiva, esse, & substantia, identificabit etiam sibi virtutem intellectivam, subsistentiam, & existentiam: unde necessario erit actus purus; & in genere entis, quia ultima actualitas illius generis est esse, & in genere intellectuali, cujus ultima actualitas est intelligere.

Confirmatur: Linea intellectualis est omnium linearum perfectissima, & radix aliarum in natura intellectuali: Ergo si substantia Angeli sit ultima actualitas, subindeque actus purus in linea intellectuali, id etiam debet habere in aliis lineis in illa priori radicatis; & per consequens debet esse suum velle, sicut & suum intelligere, & sui amor, sicut & sui intellectio.

Secunda ratio D. Thomae sic procedit. Si intelligere Angeli esset ipsius substantia, esset etiam subsistens, sicut & ipsa Angeli substantia: Sed intelligere Angeli non potest esse subsistens: Ergo nec identificari cum substantia Angeli. Major patet, Minor probatur. Si intelligere Angeli esset subsistens, non potest esse nisi unum: quia omnis forma multiplicatur, vel a suo contractivo, vel a suo susceptivo; intelligere autem subsistens, esset abstractum ab omni contractivo & susceptivo; esset enim actus purus in linea intellectuali, ut supra dictum est: Ergo non potest multiplicari, sed esset tantum unum. Unde unius Angeli substantia non distingueretur, neque a substantia Dei, quae est ipsum intelligere subsistens, neque a substantia alterius Angeli: nec posset esse gradus in intelligendo perfectius & minus perfecte: cum hoc contingat propter diversam participationem ipsius intelligere.

Denique, ut idem S. Doctor art. 4. dicitur, Angeli, & cujuscumque creaturae esse, sive essentia ac substantia, est aliquid determinatum & finitum: intelligere vero, quantum est de se, potest se extendere ad infinita; quia objectum ejus est verum, quod convertitur cum ente, & ad omnia se extendit, sicut & bonum, quod est objectum voluntatis: Ergo intelligere Angeli non est ejus essentia vel substantia. Haec rationes D. Thomae recte exponit, & ab Adversariorum impugnationibus defendit Joannes a S. Thoma hic disp. 21. art. 1. ubi legendus est.

Obijciat contra conclusionem: Ideo anima nostra non est sua intellectio, quia est intelligens solum in potentia; eo quod sit unita corpori, ut eo mediante rerum species acquirat, & per eas constituat intelligens: Ergo cum Angelus non sit intelligens solum in potentia: sed actu, saltem respectu suae essentiae, ut ostenditur inferius, erit sua intellectio. Unde Dionysius de caelesti Hierarchia c. 2. Angelos intellectus & mentes appellat, quia istorum esse est pure intelligere.

Respondeo, consilio Antecedente, negando Consequentiam. Ut enim observat S. Thomas 12. Metaph. lect. 11. tripliciter se habere potest natura intellectualis ad suam intellectioem: primo ita ut sit intelligens solum in potentia: secundo ita ut actu semper intelligat, sed per actum distinctum ab ipsa: tertio ut actu semper intelligat per actum qui sit ipsamet natura intelligens. Primum est proprium animae nostrae: secundum est proprium Angeli, saltem comparatione propria essentiae, quae cum sit ipsi intime unita & semper praesens per seipsum atque intelligibilis, semper Angelus est in actu intelligendi ipsam: tertium denique est proprium Dei qui est actus purus. Unde Angelus a D. Dionysio mens sui intellectus appellatur; non quod sit suum intelligere, sicut Deus, sed quia tota ejus cognitio est intellectualis: cognitio autem animae, partim est intellectualis, partim sensitiva, ut ait D. Thomas hic art. 3. ad 1.

Quaerit idem S. Doctor eodem art. 3. utrum potentia intellectiva Angeli sit ejus essentia? Et respondet negative: quia scilicet potentia quae dicitur ordinem ad diversos actus adequatos, realiter distinguuntur: substantia autem seu essentia comparatur ad esse, sicut potentia, ad actum suum adequatum, sicut & intellectus ad intelligere: unde cum esse & intelligere distinguantur realiter in Angelo, ut constat ex articulo precedenti, etiam potentia intellectiva, & substantia sive essentia Angeli distinguuntur realiter. Circa hoc gravis occurrit difficultas, an deum vel dari possit aliqua substantia creata, quae sit immediate operativa? Sed quia haec questio philosophica est, illam

illam praetermittimus, & ad ea quae docet S. Doctor q. 55. de medio cognitionis Angelicae, seu de speciebus Angelorum, gradum facimus. Unde sit

DISPUTATIO VIII.

De Medio cognitionis Angelicae.

Ad quest. 55. D. Thomae.

Medium cognitionis Angelicae, sunt species intelligibiles, quibus mediantibus Angeli objecta cognoscunt, de quibus in hac disputatione cum S. Doctore disputandum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Angelus indigeat speciebus ad cognoscenda alia a se?

Angelos per solam essentiam & intellectum omnia intelligere, senserunt Durandus, & Nominales, quibus favet Vasquez hic disp. 200. cap. 3. dicens, *Rationes efficaces suppetere ad probandum humanum intellectum indigere speciebus ad intelligendum: ac vix ullam esse rationem, quae id de intellectu Angelico eodem modo aperire convincat.* Idem videtur sentire Valentia in presenti, rationem D. Thomae vocans infirmam, & minime sufficientem; ejus siquidem efficaciam & profunditatem minime penetravit, ut patet ex dicendis conclusione sequenti.

Dico igitur, Angelum indigere speciebus ad cognoscenda alia a se.

Probat conclusio ratione fundamentali. Nulla natura intellectualis potest intelligere aliquid objectum, nisi habeat speciem representativam illius, vel aliquid gerens vires speciei: Sed essentia Angeli non potest habere rationem speciei representantis alia a se: Ergo ut Angelus alia a se cognoscat, debet perfici speciebus ipsius substantiae superadditis. Major solet in libris de anima probari, duplici ratione. Prima sumitur ex differentia quae est inter intellectum & voluntatem, nam intellectus trahit ad se res, voluntas vero trahit a rebus; quia scilicet ille fertur in res similitudine; hoc est formando in se rerum similitudines; ista vero ponderat eam in objectum inclinante, juxta illud Augustini 13. Confess. cap. 9. *Amor meus pondus meum; amore feror quocumque feror;* unde cum objectum secundum esse quod habet ad extra, non possit trahi ad potentiam, nec illi uniri, debet ad illam trahi, eique uniri mediante aliqua ipsius similitudine & representatione, quae species impressa seu intelligibilis appellatur.

Secunda ratio petitur ex illo celebri Augustini effato, quo asserit ex objecto & potentia pari notitiam, eo proportionali modo quo ex viro & femina generetur proles: unde ad partum intellectualem verbi necesse est quod aliquid sit loco objecti in potentia intellectiva, sicut semen loco generantis, ut pariatur fetus, objectum enim per seipsum in ea semper esse non potest, ut constat: Ergo ad cognitionem requiritur species intelligibilis tamquam vicaria ipsius objecti, & non sufficit sola extrinseca objecti praesentia, ut asserit Vasquez loco citato.

Confirmatur: Objectum ut est extra intellectum, habet solam rationem termini notitiae intellectualis, aut determinationis intellectus ad illum: Ergo ut sit illius principium, necessario debet esse intra intellectum, illique uniri ut forma intelligibilis intellectum construens in actu. Quod adeo verum est, ut etiam objectum potentiae appetitivae, licet appetitionem terminare possit ut est a parte rei, nequeat tamen esse illius principium, aut movere ad illam, nisi media forma, seu specie intelligibili intra animam existente.

Minor autem, quae asserit essentiam Angeli non posse habere rationem speciei representantis alia a se, probatur ratione D. Thomae hic art. 1. Substantia Angeli nequit representare alia distincte & secundum proprias eorum differentias; sed tantum confuse, & secundum rationes communes: ergo non potest habere rationem speciei intelligibilis, per quam Angelus alia a se clare & distincte, & secundum proprias eorum differentias cognoscat. Consequentia patet, Antecedens probatur, Substantia Angeli non continet alia a se distincte, & secundum proprias eorum differentias; sed tantum secundum rationes communes entis, substantiae, & intellectualitatis: Ergo illa non representat distincte, & Consequentia est legitima: substantia enim Angeli, cum non sit per se primo ad representandum instituta, nequit alia a se representare, nisi quatenus illa in sua entitate continet. Antecedens vero suadet: Nam vel substantia Angeli proprias rerum differentias formaliter contineret, vel eminenter? Non formaliter, quia diversorum generum, & diversarum specierum, diverse, immo & oppositae sunt differentiae, atque adeo non possunt eidem rei formaliter convenire.

Non etiam eminenter quia continentia eminentialis rerum secundum proprias differentias illi tantum potest competere, qui est causa entis in tota sua latitudine, scilicet Deo. Quod sic ostenditur: Cum enim rerum differentiae utpote se totis diverse, in nulla ratione conveniant, nisi in ratione entis; & aliunde una debeat esse ratio, sub qua omnes suos qualibet causa continet & producat effectus; non potest aliqua causa eminenter continere res omnes secundum proprias differentias, nisi sub universali ratione entis illas impiciat, postquam subinde quidquid sub ratione entis continetur attingere: atque adeo cum hoc soli Deo competat, solus etiam ipse in sua essentia & omnipotentia res omnes creatas & creabiles, secundum proprias earum differentias continet; sicque sola essentia & omnipotentia Dei potest habere rationem medii, in quo res omnes creatas & creabiles, clare, distincte, & secundum proprias earum differentias cognoscuntur. Unde S. Doctor hic q. 55. art. 1. in resp. ad 3. sic habet: *Ea quae sunt infra Angelum, & ea quae sunt supra ipsum, sunt quodammodo in substantia ejus: non quidem perfecte, neque secundum propriam rationem, cum Angeli essentia finita existens, secundum propriam rationem ab aliis distinguatur, sed secundum quandam rationem communem. In essentia Dei sunt omnia perfecte, & secundum propriam rationem, sicut in prima & universali virtute operativa, a qua procedit quicquid est in quacumque re propria vel commune. Et ideo Deus per essentiam suam habet propriam cognitionem de rebus omnibus, non autem Angelus, sed solam communem.*

Confirmatur & magis illustratur haec ratio & doctrina D. Thomae. Una res non potest representare aliam perfecte, nisi vel ratione convenientie & similitudinis cum illa, vel ratione causalitatis, vel quia est effectus illius, & procedit ab illa: Sed nullo ex his modis potest essentia Angeli representare distincte & perfecte alia creatura: Ergo nec habere rationem speciei representantis alia a se. Major patet, Minor probatur. Nam in primis, Angelus non procedit ab aliis creaturis ut effectus, sicut procedit a Deo: subindeque licet hac ratione possit representare Deum tanquam effectus ejus, non tamen creaturas. Similiter Angelus non est causa aliarum rerum: multae enim ab ipso fieri nequeunt, puta res spirituales, & ordinis gratia, calum, aliaque omnia quae per creationem solum fieri possunt, & sic non possunt illa representari in ipso sicut in causa. Quantum ad alias res quae per generationem & motum sunt, non possunt in essentia, aut in virtute Angeli, etiam ad eas concurrentis per motum suum, perfecte representari aut cognosci; Tum quia Angelus non caussat totum quod in re invenitur, & ex quo componitur; non enim caussat materiam. Tum etiam quia non caussat formam virtute sua immediate, sed applicando activa passiva; & praesertim per motum localem: unde etiam ex vi suae virtutis & causalitatis, non cognoscit formas istas & effectus ut sunt in re, sed quatenus pendunt a motu locali, & ab activis & passivis quae applicat, ideoque nec perfecte, sed solum confuse eas cognoscit. Denique si attendatur sola convenientia & similitudo Angeli cum aliis rebus, constat quod non perfecte potest illas representare, nec cognoscere per suam essentiam, quia in multis praedictis non convenit cum illis. Nec in vi hujus similitudinis potest etiam Deum cognoscere, nisi valde confuse & imperfecte. Verumtamen quia ipse est effectus Dei valde perfectus, potest ex sui ipsius cognitione, plus per essentiam suam de Deo cognoscere, quam ex aliis effectibus, ut infra patebit. Constat ergo Angelum non posse alia a se per suam substantiam representare, nec cognoscere, sed debere intellectum ejus alicuius speciebus perfici ad res cognoscendas.

Obijciat Valentia contra hanc rationem D. Thomae: Angelus per speciem leonis, verbi gratia, perfecte cognoscit ipsum leonem; & tamen leo non continetur formaliter vel eminenter in tali specie, utpote cum ipsa sit accidens, leo vero substantia: Ergo licet substantia Angeli non continet formaliter vel eminenter omnia entia naturalia, male tamen inde inferimus, quod per eam, tamquam per formam intelligibilem, non possit illa cognoscere.

Respondeo quod licet species intelligibilis per quam Angelus cognoscit leonem, non continet formaliter naturam leonis in esse entitativo, illam tamen continet formaliter in esse intentionali seu intelligibili; immo in tali esse est ipsamet substantia leonis, ut ostendimus in Tractatu de visione beatica disput. 2. art. 1. notabili 3. & fute probant nostri Thomiste in libris de anima.

Dices: quamvis substantia Angeli non continet omnia entia naturalia in esse naturali seu entitativo, ea tamen continet in esse intentionali seu intelligibili: Ergo si sufficit ad hoc ut Angelus per speciem leonis perfecte & distincte naturam ejus intelligat, quod hujusmodi species continet substantiam leonis in esse intelligibili, ipsa etiam substantia Angeli poterit habere rationem medii, in quo clare & distincte omnia entia naturalia cognoscantur.

Respon-

ARTICULUS II.

Utrum Angeli intelligant per species a rebus acceptas?

9 Responso negando Antecedens: nam ut egregie observavit Cajetanus hic art. 3. duo sunt entium genera; unum eorum quae per se primo instituta sunt ut sunt, & alterum eorum quae per se primo instituta sunt ut repraesentent. Ita quae sunt primi generis non continent naturas rerum in esse intentionali vel intelligibili, nec sunt formales illarum similitudines, unde non possunt illas repraesentare, seu habere rationem medii in quo clare & distincte cognoscantur, nisi eas in esse entitative eminenter contineant (repugnat enim illas in esse entitative contineri formaliter in alio) ut supra vidimus. Illa vero quae ad secundum genus pertinent, cum ad perfectionem naturae cognoscitivae, quatenus cognoscitiva est, ordinantur, & cognitio fiat per assimilationem potentiae cum objecto, ideo sunt formales rerum similitudines, et quae in esse intentionali seu intelligibili formaliter continent etiam secundum proprias illarum differentias & rationes. Unde cum substantia Angeli non sit per se primo instituta ad repraesentandum, sicut species intelligibiles, per quam cognoscit, v. g. naturam leonis, non debet continere illam naturam in esse intentionali vel intelligibili; sicut illam continet talis species.

10 Ex quo intelliges quomodo species quas sententia communis admittit in intellectu Angelico, quamvis sint in essentia de perfectione finita, contineant nihilominus & repraesentent plures naturas specificas, puta omnes illas quae continentur sub genere animalis, non vero Angeli substantia. Ratio enim disparitatis constat ex dictis, quia nimirum cum Angeli substantia sit de genere illorum entium, quae per se primo instituta sunt ad essendum, si plures naturas specificas contineret, eas in esse naturali & entitative continere deberet, quod tamen est impossibile, eo quod specificae illarum naturarum differentiae, sint inter se oppositae in esse entitative, ac proinde incompatibiles, & contra vero cum species Angelorum mentibus indita per se primo instituta sint ad repraesentandum, & ea quae in esse entis opponuntur, non sint opposita in esse repraesentativo; albedo enim & nigredo v. g. in esse quidem entis sunt qualitates contrariae, sed non in esse repraesentativo; unde & in una specie superioris ordinis, puta in specie sensus communis, continentur: hinc fit, quod species intelligibiles supremi v. g. Angeli, quamvis sit finita & limitata perfectionis, plures tamen naturas specificas inter se oppositas simul continere & repraesentare possit.

11 Obijcies secundo: Essentia Angeli est radicaliter intellectiva totius entis: Ergo ipsa comprehensa, necesse est omnia quae sub ente continentur comprehendi: Sed quilibet Angelus comprehendit suam substantiam. Ergo per eam comprehendit omnia alia quae sub ente continentur. Subsumptum & Antecedens a nullo negari possunt, secunda Consequentia sequitur necessario Antecedente; prima vero sic probatur. Ut essentia Angeli cognoscatur comprehensive, necesse est quod attingatur prout est radicaliter intellectiva omnis entis, alias non attingeretur quantum intelligibilis est ex parte rei intellectae: Sed nequit hoc modo intelligi, nisi ejus cognitio attingat omnia quae sub ente continentur: Ergo &c.

12 Confirmatur: Ad comprehensionem omnipotentiae divinae requiritur quod cognoscantur omnia possibilis, quia est factiva omnium possibilium: Ergo etiam ad comprehensionem essentiae angelicae requiritur quod cognoscantur omnia quae sub ente continentur, quia est illorum omnium radicaliter intellectiva.

13 Respondo quod ut essentia Angeli cognoscatur quantum cognoscibilis est, oportet quidem ut attingatur prout est intellectiva radicaliter: omnia intelligibiles, etiam secundum proprias rationes: sed ad hoc non requiritur nisi consula cognitio omnium intelligibilium. Ratio est, quia in eo quod est esse radicaliter intellectivum omnium intelligibilium, etiam secundum rationes distinctas non involvitur actualis eorum continentia, aut habitudo ad illa secundum speciales rationes, sed solum indifferens capacitas ad proprias eorum species recipiendas, quibus actualiter eam contineat, & determinate respiciat: unde fit ut ad comprehensionem illius, quod est solum radicaliter intellectivum omnium intelligibilium, non aliud requiratur, quam quod cognoscatur ejus capacitas, ut indifferens ad quoslibet intelligibilium formas recipiendas; in quo non importatur nisi consula eorum notitia. Ex quo patet responso ad confirmationem: concessio enim Antecedente, neganda est consequentia & paritas: nam omnipotentia divina non continet omnia possibilis per modum potentiae in ordine intelligibili, sicut essentia Angeli.

Celebris est haec controversia inter Angelici & Subillis Doctores Distinctos: nam licet Scotus concedat Angelum a principio suae creationis habere species inditas rerum universalium, immo & illorum individuum quae in illo instanti simul cum ipso extant, subindeque eas non accipere ab ejusmodi objectis; contendit tamen ipsam mutuari a rebus species illorum singularium quae decursu temporis fiunt, nec ipsi ab initio nota sunt: immo quod possit Angelus universaliter loquendo omnes omnino species ab objectis desumere: nisi per accidens aliqua in prima sui productione fuissent illi inditae. Oppositum docet D. Thomas hic art. 2. quem sequuntur communiter Theologi, excepto Ricardo, Gregorio, & paucis aliis.

§. I.

Conclusio negativa statuitur, & ex Scriptura, & SS. Patribus fundatur.

Dico igitur: Angelos non intelligere per species a rebus acceptas, sed eas acceptas a Deo in primo instanti creationis.

Probatur primo ex Sacra Scriptura Ezech. 28. Tu se-gnaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore... in die quo conditus es... perfectus in viis tuis a die conditionis tuae. Quae verba continent exprobrationem Luciferi factam, quod male nisi fuerit tot perfectionibus, quibus a primo sua creationis puncto praeditus fuerat; inter quae numeratur perfectio sapientiae, ad quam necessariam requiritur species: Ergo Lucifer (& item die de aliis Angelis) ab initio suae conditionis habuit rerum species sibi inditas, non vero illas successu temporis a rebus acceptas.

Confirmatur: Angelus fuit creatus in gratia, unde dicitur plenus sapientia, & perfectus decore... perfectus in viis suis a die conditionis suae: Ergo in illo primo instanti debuit habere aliquem actum supernaturalis dispositivum ad illam; non accipit enim gratiam & justificationem ut parvulus, sed ut adultus; & per propriam actum se disponendo: Ergo debuit habere cognitionem supernaturalem a qua regulariter actus voluntatis disponens ad gratiam: Ergo & species, sine quibus talis cognitio haberi non potest.

Probatur secundo ex Dionysio cap. 7. de divin. nomin. ubi formaliter dicit, quod Angeli non congregant divinam cognitionem a rebus divisibilibus aut sensibilibus.

Probatur tertio ex Augustino lib. 2. super Genesim ad litt. cap. 8. & lib. 4. cap. 24. & lib. 5. cap. 4. ubi asserit se fuisse a Deo creatas prius in mente Angelorum quam in proprio genere: Sed non poterat esse creata in mente Angelorum, nisi in esse intentionali quod habent in speciebus: Ergo omnium rerum species fuerunt a Deo inditae mentibus Angelorum: unde in libro de causis propositione decima dicitur: Omnis intelligentia plena est formis.

Nec dici potest, haec Scriptura & SS. Patrum testimonia solum convincere, Angelum a principio suae creationis habuisse inditas species repraesentantes res quoad rationes universales, non vero species praesentantes singularia, maxime illa quae decursu temporis fiunt. Nam contra est, quia si istae species inditae Angelo, qualesque naturaliter exigit: repraesentant ita res in universalis, quod non possunt deservire ad cognoscenda singularia, quando illa producantur, sed indigent Angelus nova specie ipsius singularis, ab illo accepta, ut docet Scotus, sequitur quod Angelus ex natura sua requirit species valde imperfectas & confusas; quia repraesentatio solum in universalis, & quae non potest extendi ad singularia, est repraesentatio imperfecta; & sic Angelus non esset a die creationis suae plenus sapientia; quia caret aliqua sapientiae parte, ea scilicet quae versatur circa singularia.

Confirmatur: Scientia solum in communi sive in universalis sufficit ad summum ad perficiendum intellectum speculativum, non vero practicum: Sed qui non habet intellectum practicum perfectum, non potest vocari absolute (sicut in Scriptura vocatur Angelus) plenus sapientia. Ergo &c.

Confirmatur amplius: Si Angeli acciperent species a singularibus quae successu temporis decurrunt, falsum esset quod ait Dionysius citatus, Angelos scilicet non congregare divinam cognitionem a rebus divisibilibus: haec enim singularia divisibilia & sensibilia sunt.

Denique D. Augustinus locis citatis docet res fuisse creatas prius in mente Angelorum, quam in seipsis: Ergo loquitur de rebus secundum quod terminant divinam productionem sive creationem: Sed illam terminant secundum esse individuale, non vero secundum rationes communes & universales: Ergo docet mentibus Angelorum fuisse

fuisse inditas species repraesentantes res in singulari, non vero solum in communi & in universalis.

23 Dices cum Gregorio, Augustinum non loqui de cognitione naturali creaturarum, sed de supernaturali, qua res istius universi cognoscuntur ab Angelo in Verbo per visionem Beaticam.

Sed contra primo: Augustinus de ea cognitione loquitur quam haberunt Angeli ex quo facti sunt, seu in primo instanti suae creationis: At non fuerunt in sua creatione Beati, ut ostendit D. Thomas infra quest. 62. art. 1. Ergo non loquitur de cognitione per visionem Beaticam.

Contra secundo: Ibi Augustinus loquitur de cognitione communi omnibus Angelis ante lapsum malorum: Sed haec non est cognitio habita per visionem Beaticam, ut patet: Ergo idem quod prius. Nec obstat D. Augustinum cognitionem illam appellare cognitionem in Verbo: nam ut docet D. Thomas loco proxime citato ad 3. etiam cognitione naturali cognoscit Angelus res in Verbo, licet imperfecte.

§. II.

Rationes D. Thomae expenduntur.

Præter tam clara & expressa Scriptura & SS. Patrum testimonia, multae suppetunt rationes egregiae ex D. Thoma desumptae, quibus nostrae conclusionis veritas efficitur suaderi potest.

24 Prima quam habet hic art. 2. & secundo contra Gent. cap. 69. sic procedit. Idem constituentis est ordo & distinctio inter substantias spirituales (servata tamen proportione) ac inter substantias corporeas: Sed inter istas hic est ordo & distinctio, ut substantiae superiores, quales sunt caelestia corpora, habeant a Deo suam potentiam (scilicet materiam primam) totaliter expiatam per formam, ab instanti prima conditionis, ita ut praedicta materia non habeat successively accipere ab aliis agentibus novas formas: Ergo etiam inter substantias spirituales admittendus est proportionaliter, similis ordo & distinctio; ita ut superiores inter illas, nempe Angeli, habeant a primo instanti suae creationis, & a Deo, totaliter completam suam potentiam, nempe intellectum, per formas intelligibiles; & e contra inferiores substantiae, quales sunt animae nostrae, non habeant illam a Deo completam a primo instanti quo conditae sunt, sed paulatim & successively praedictas formas intelligibiles acquirunt.

Confirmatur & magis illustratur haec ratio. Quamvis species intelligibilis sit forma accidentalis, se habet tamen respectu intellectus, considerari potest secundum se est tabula rasa, sicut actus primus ad puram potentiam: quomodo etiam se habet forma substantialis ad materiam primam: Ergo sicut est possibile, & de facto datur corpus, cuius materia prima potentia sit a prima sua productione completa per actum primum illi correspondentem, puta per formam substantialem; ita erit possibile, & de facto dabitur substantia intellectualis, cuius intellectus potentia sit a primo instanti suae creationis completa per actum primum ei correspondentem, quales sunt species intelligibiles; & talis est Angelus, qui idcirco perfectus a die conditionis suae in Scriptura appellatur.

Confirmatur amplius: Angeli sunt quid medium inter Deum & animas nostras: Sed Deus semper est in actu secundo, anima vero creatur in potentia etiam ad actum primum ordinis intellectualis; nam se habet veluti tabula rasa ut dicunt Philosophi: Ergo natura Angelica, quae est media, debuit creari saltem in actu primo completo, licet cum potentia ad actum secundum; ac proinde in primo suae creationis instanti recipere a Deo species intelligibiles, quibus intellectus constituitur in actu primo completus ad intelligendum.

27 Secunda ratio quam habet idem S. Doctor locis citatis, probat specialiter Angelum non posse desumere species a rebus sensibilibus & objectis corporalibus, potestque sic proponi. Substantia immaterialis, quae omnino absoluta est a corpore, ita ut nunquam ipsi uniat, nec uniri possit tanquam forma, non habet species ab objectis corporalibus: Atqui Angelus ita se habet: Ergo ab objectis corporalibus species non habet. Majorem probat S. Thomas primo: quia modus operationis propriae alicuius rei proportionaliter respondet modo substantiae & naturae ipsius: Ergo operatio substantiae omnino a corpore separatae, & ab illo independentis, non potest a rebus corporalibus, & speciebus ab illis acceptis dependere. Secundo: quia ratio cuius anima nostra uniat corpori tanquam forma, est ut species a rebus corporeis accipiat, quibus mediis possit intelligere; Ergo substantia quae non est corpori unibilis, tanquam forma illius, non debet species ab objectis corporalibus recipere. Consequentia patet ex illo communi axiomate: Si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis. Antecedens probatur: Anima uniat corpori propter bonum suum, non vero propter perfectionem ipsius corporis, nisi forte secundario: cum enim

etiam in eodem composito imperfectiora debeant esse propter perfectiora, quia id exigit naturalis ordo; in homine corpus debet esse ordinatum in bonum animae, & per consequens anima debet uniri corpori, propter bonum suum, seu potius propter bonum totius compositi, non quatenus sensitivum, sed quatenus intellectivum est: Ergo tota ratio quare unitur corpori anima ut intellectiva, est ut ipsa, seu totum compositum, in gradu intellectivo perficiatur: Ergo cum prima perfectio ordinis intellectivi fit intelligere, ad quod corpus non deservit, nisi quatenus ministrat species intellectui, mediantibus phantasmibus, ratio quare anima unitur corpori, est ut accipiat species intelligibiles a rebus.

Respondet Scotus, ex eo quod Angelus est substantia immaterialis omnino absoluta a corpore, solum posse inferri quod non accipiat species a rebus corporalibus, ministerio sensuum; sicut eas accipit anima nostra, propter rationem oppositam: cum hoc tamen stare, quod Angelus possit accipere species a rebus sensibilibus & corporalibus, ut ab objectis.

29 Sed contra: Si Angelus acciperet species a rebus corporalibus, etiam præcise ut ab objectis, ab illis suam perfectionem acquireret: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, Minor vero suadet. Si Angelus a rebus corporeis ut ab objectis, suam perfectionem acquireret, ab illis dependeret: Sed modus essendi Angeli excludit talem dependentiam: Ergo non accipit species a rebus corporeis, ut ab objectis. Major est evidens: universaliter enim quod ita perficitur, talis est conditio, ut pendat ab eo a quo perficitur; nec mirum, quia illud est causa formalis respectu illius. Minor vero probatur. Angeli sunt superioris ordinis ad res corporeas, ex suo speciali essendi modo: Ergo modus essendi illorum non patitur dependentiam a rebus corporeis etiam ut ab objectis. Hanc rationem habet Divus Thomas 2. contra Gentes cap. 95.

Quod si dicas animam rationalem esse immaterialem, & consequenter superioris ordinis ad corporalia & sensibilia, & nihilominus ab illis suam perfectionem intellectualem accipere. Respondetur quod quamvis anima rationalis sit substantialiter ordinis superioris, utpote intellectualis, tamen quatenus est forma corporis, pertinet quodammodo ad ordinem sensibilem: immo & ipsa sensibilia, dum animam perficiunt, intrant quodammodo ordinem ipsius; quia non eam perficiunt, nisi ut subsint luminis intellectus agentis, & prout elucet in phantasma, quod est supernum infirmo, hoc est ordinis sensibilibus, attingens infirmum supremi naturae intellectualis, nempe animam rationalem.

31 Ex quo in confirmationem nostrae conclusionis deduci potest alia ratio, quam egregie expendit S. Doctor loco proxime citato, ubi sic dicitur. Altiore virtutis oportet esse alius objectum: virtus autem intellectiva substantia separata est altior quam vis intellectiva anima humana; cum intellectus anima humana sit infirmus in ordine intellectualem, ut ex praemis habetur: intellectus autem humana anima objectum est phantasma, quod est supernum in ordine objectorum, quam res sensibilibus extra animam existens... Objectum igitur substantia separata non potest esse res existens extra animam, ut ab ea immediate accipiat cognitionem, neque phantasma. Relinquitur igitur quod objectum intellectus substantia separata sit aliquid aliud phantasmata. Nihil autem est aliud phantasmata in ordine objectorum cognoscibilem, nisi id quod est intelligibile in actu; substantia igitur separata non accipit cognitionem intellectualem a sensibilibus, sed intelligit ea quae sunt per se ipsa etiam intelligibilia.

32 Quarta ratio quam habet hic art. 2. ad 2. potest sic proponi. Non potest creatura intellectualis desumere species ab objecto materiali, nisi sensus habeat & phantasma: Sed Angelus caret illis potentis: Ergo non potest ab objectis materialibus species desumere. Major probatur. Non potest virtus creata naturaliter transire de uno extremo ad aliud, nisi per medium quod inter illa a natura constitutum est: Atqui si creatura intellectualis, carens sensibus & phantasma, desumeret speciem ab objecto materiali, tale objectum transiret ab uno extremo in aliud, non transiendo per medium inter illa a natura constitutum: Ergo non potest creatura intellectualis desumere species ab objecto materiali, nisi sensus & phantasma habeat. Major est certa: propterea squidem natura curavit de mediis inter extrema, ut non nisi per illa ab uno ad aliud fieret transitus. Minor vero probatur. Est imaginabile sive phantasticum, est medium a natura constitutum inter esse omnino sensibile, quod a sensu externo percipitur, & esse intelligibile; Atqui si creatura intellectualis carens sensibus & phantasma reciperet speciem ab objecto sensibili, iam ejusmodi objectum transiret ab esse materiali & sensibili quod habet in se, ad esse intelligibile, non transiendo per esse imaginabile sive phantasticum ut conitat: Ergo fieret transitus ab extremo in extremum, sine transitu per medium, a natura inter illa constitutum.

Dices

33 Dices cum Scoto: Vel esse imaginabile sive phantasticum est medium necessarium ex parte objecti, vel solum ex parte potentie cognoscentis. Primum dici non potest: alias (inquit) nullus intellectus, etiam divinus, posset cognoscere esse sensibile, nisi prius haberet esse in imaginatione: Si autem secundum dicitur, nulla erit ratio D. Thomae: quod enim est medium necessarium respectu potentiae inferioris & debitoris, non est tale respectu superioris & efficacioris: unde quavis datur quod esse imaginabile sit medium ex parte potentiae inter esse omnino sensibile & esse intelligibile ab intellectu humano, non sequitur tamen illud esse medium inter esse omnino sensibile & esse intelligibile ab intellectu Angelico.

34 Sed contra: Licet esse imaginabile sit medium inter esse omnino sensibile, & esse intelligibile, necessarium non solum ex parte potentiae cognoscentis, sed etiam ex parte objecti materialis quod debet cognosci; hoc ipso tamen quod tale obiectum, non praecise secundum quod est terminativum, sed quatenus est motivum intellectus, & causativum suae speciei, indiget tali medio, non sequitur, ut male infert Scotus, quod nullus intellectus possit naturaliter cognoscere obiectum sensibile, nisi prius habet esse in imaginatione; sed tantum sequitur quod huiusmodi obiectum non possit movere intellectum, & immittere sui speciem in ipsum, nisi transiendo per imaginationem: cum quo tamen fiat, quod sicut intellectus divinus & angelicus possunt ipsum cognoscere absque eo quod immittat ejusmodi species, ita possunt de illo perfectam habere notitiam, absque eo quod prius tale obiectum habeat esse in aliqua imaginatione vel phantasia.

35 Haec ratio, sicut & duae praecedentes, probant solum Angelos non recipere species a rebus corporeis, & potest magis expendi vis illius. Quia inferius non potest attingere superius, nisi in infimo illius, ac per ipsum supremum; nam ut docet Dionysius 7. de divin. nomin. ordo universi postulat ut supremum infimi attingat infimum superius: Sed infimum ordinis intelligibilis est humanus intellectus, supremum vero ordinis sensibilis est phantasia: Ergo sensibile non potest attingere ordinem intelligibilem, nisi in solo intellectu humano, & per phantasia.

36 Nec dicas phantasia contineri sub sensibili ut sic, subindeque non esse medium inter sensibile & intellectuale. Respondetur enim sensibile sumi dupliciter: primo pro eo omni quod sensu percipitur, & hoc modo sub se continet phantasia: secundo restrictus pro obiecto extra existente, & sensus externos immediate immittente, inter istud autem & intelligibile, mediat phantasia, quod est supremum sensibilis primo modo sumpti.

§. III.

Corollaria notata digna.

37 EX dictis colliges primo, in Angelis non esse intellectum agentem & possibilem, sicut in nobis, nisi forte aequivoce. Nam ut ait S. Doctor a. contra Gentes c. 96. Intellectus possibilis & agens in anima intellectum inventur propter hoc quod accipit cognitionem intellectivam a sensibilibus: nam intellectus agens est qui facit species a sensibilibus acceptas esse intelligibiles: Intellectus autem possibilis est in potentia ad omnes formas sensibilium cognoscendas: cum igitur substantia separata non accipiat cognitionem a sensibilibus, non est in eis intellectus agens & possibilis: unde & Aristoteles in 3. de anima intellectum possibilem & agentem inducens, dicit eos in anima operare poni. Quibus verbis corollarium istud & docuit & probavit.

38 Colliges secundo, Angelum non posse, etiam supernaturaliter, intelligere per species a rebus naturalibus acceptas. Ratio est, quia cum species quam accipit intellectus, ipsam in genere causae formalis perficiat: nihil autem possit supernaturaliter causae formalis, nisi quod potest naturaliter; ut intellectus Ang. potest supernaturaliter intelligere per species a rebus corporeis desumptas, deberet id posse naturaliter: quod tamen constat ex tertia probatione fieri non posse.

Adde quod cum species perficiat, subindeque astringat intellectum, non minus autem implicet id quod est materiale, cuiusmodi est species desumpta a rebus corporeis, actuare formam omnino spirituales, qualis est Angelus, quam materiam actuare formam; Angelum speciem accipere ab obiecto corporeo manifestam arguit implicatam.

39 Dices, Quavis species desumpta a rebus corporeis sit materialis, posse tamen Deum ipsam deponere ab omnibus conditionibus materialibus, & sic deponatur immittere in intellectum Angelum.

Sed contra: Intellectus Angelus in illo casu speciem illam non recipit immediate ab ipso obiecto, sed a Deo; unde perinde se habet in receptione illius, ac si nullo modo esset desumpta a tali obiecto, eamque a solo Deo productam reciperet.

Adde, quod talis species, etiam sic deponatur a conditionibus materialibus, adhuc diceret habitudinem sive

dependentiam ab obiecto corporeo a quo esset desumpta, utpote sibi essentiali, sicut remaneret adhuc corporea: unde exilium quod neque etiam in illo casu posset Angelus ipsam etiam divinitus recipere; quia nimirum alias id quod est materiale, actuaret id quod est pure spirituale.

Colliges tertio, Angelum non posse recipere species a rebus etiam spiritualibus, puta ab illis Angelis.

Probatur: Ut unus Angelus produceret species intelligibiles in intellectu alterius, deberet illi menti illius: Sed hoc repugnat: Ergo & illud. Minor probata fuit supra disp. 4. art. 1. §. 7. coroll. 7. Major vero suscipitur: quia deberet Angelus immediate immatione suppositi huiusmodi species intra intellectum alterius producere: cum enim sint spirituales, non possent diffundi per medium: Ergo per eorum productionem Angelus constitueretur secundum esse naturale intra intellectum alterius, in ratione causae huiusmodi specierum: Sed hoc est illi intra terminos ipsius: Ergo ut unus Angelus produceret species intelligibiles in intellectu alterius, deberet illi menti illius. Haec etiam ratione utuntur Thomistae, ad probandum illuminationem Angelorum non fieri per immisionem specierum, sed per solum directionem conceptum, ut infra patebit.

Colliges quarto, quod licet phantasia in homine ex speciebus mentis & auri speciem mentis auri formare possit, & similiter intellectus humanus ex quibuslibet speciebus praconceptis efformet alias (ob quam rationem D. Paulus post rapum recordabatur eorum quae in ipso viderat, quia scilicet ex illis formaverat. species eorum representativas) intellectus tamen Angelicus non potest formare de novo species ex obiectis quae cognoscit. Ratio disparitatis est quia phantasia & intellectus humanus habent quod vel a se; vel ab alio novo speciebus perfici possunt, ex eo quod non sunt potentiae perfecte completae ab initio suae productionis: At vero Angelicus intellectus postulat ab initio suae creationis habere species omnium quae debet intelligere naturaliter; & sic nullam habet vim formandi aliquas species de novo. Unde si per absolutam Dei potentiam Angelus privaretur visione Beatica, non recordaretur eorum quae videt in essentia divina, nisi aliquae species de novo ipsi infunderentur. Nec debet hoc magis esse mirum, quam quod non possit intelligere, si produceretur sine intellectu per absolutam Dei potentiam: cum non magis possit esse causa specierum, quam propria intellectus; immo minus, quia intellectus ab eius essentia resularet, Deo non impediante; species vero minime, ut dicitur articulo sequenti.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Obijciunt primo: Divus Augustinus 12. de Trinit. c. 48 sic ait: Dum aliqua res de novo fit, afficiuntur carnales sensus hominum, & reliquorum animalium, nec non caelestes sensus Angelorum: Sed haec nova affectio Angelorum, non potest fieri a rebus illis, nisi Angelis ab ipsis species accipiant: Ergo Angelus accipit species a rebus.

Secundo, Hieronymus & alii Patres explicantes illud ad Ephesios 3. Ut innotescat Principibus & Potestatibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei, dicunt sensum illorum verborum esse, quod Angeli ab Apostolis didicerunt aliqua mysteria gratiae, saltem quoad particulae circumstantias: quod tamen non videtur potuisse fieri, nisi ab eis scientiam, subindeque species intelligibiles acceperunt.

Tertio, D. Thomas in quest. de anima art. 18. & 13. & art. 20. ad 11. dicit quod anima separata infunduntur species, mediantibus Angelis: Ergo similiter mediante uno Angelo possunt infundi species in alium, subindeque poterit fieri quod Angelus non immediate a Deo, sed a rebus, saltem spiritualibus, suas species desumat.

Respondeo ad locum Augustini, quod ibi solum vult distinguere intellectum angelicum a divino, per hoc quod divinus omnia simul ab aeterno intuitivo cognoscit; angelicus vero non cognoscit intuitive res, nisi quando existunt: ex quo fit quod quando res de novo producuntur, afficitur intellectus Angelus, non quidem eodem modo quo sensus humanus; per modum scilicet actus etiam primi, recipiendo speciem a re producta, sed praecise per modum actus secundi, in quantum rem de novo existentem intuitivo cognoscit.

Ad locum Scripturae respondeo, quod quia Angeli clarius, nempe intuitive, cognoscunt mysteria, quando sunt praesentia, quam dum sunt futura; quia nimirum eorum praesentia requiritur tamquam conditio sine qua non ad intuitivam illorum representationem; ideoque dicuntur Angeli didicisse ab Apostolis, sive ab Ecclesia, huiusmodi mysteria, quando ab ipsis fuerunt exercita & praedicata: cum quo fiat, quod illa non innotuerint ipsis, per species ab Apostolis, vel ejusmodi mysteriis acceptas, sed a solo Deo infusas.

Ad quo

Ad duo loca D. Thomae ex questione de anima desumpta, respondeo S. Doctorem infra q. 89. art. 3. formaliter asserere, quod anima separata intelligit per species quas recipit ex influentia divini luminis, sicut & Angeli: unde quae alibi dicit, per haec regulanda & explicanda sunt: Dicendum est ergo cum Nazario, species animae separatae, ab Angelis infunduntur sive causantur, non effective, sed exemplariter, quatenus ad imitationem illarum quae sunt in Angelis, effective infunduntur a Deo.

Vel secundo responderi potest cum Joanne a S. Thoma, quod D. Thomas ibi loquitur de diffusionione sive causatione specierum facta in anima ab Angelis, non quantum ad eorum substantiam, quae solum a Creatore fit, sed quantum ad aliquam perfectionem dispositionis & ordinationis ejusmodi specierum, causatam per extrinsecam & distinctam propositionem obiecti, clariori & superiorem lumine Angelis illustrati: sicut a magistro per extrinsecam obiectorum propositionem ordinantur species in mente discipuli.

44 Obijciunt secundo: Si Angelus crearetur a Deo sine speciebus intelligibilibus, vel posset aliquid aliud a se communi Dei influenza per proprias vires cognoscere, vel non? Si primum: Ergo Angelus suae naturae relictus, posset a rebus cognoscere, subindeque species accipere. Si secundum: Ergo Angelus suae naturae relictus, erit imperfectior anima nostra, utpote quae sibi relicta, potest cum communi Dei influenza intelligere res, quas in illo casu non posset Angelus intelligere.

45 Respondeo primo, negando suppositum, quod scilicet Deus, de potentia saltem ordinaria, possit creare Angelum sine speciebus: hoc enim ipso quod velit illum creare, tenetur suavis eius providentia ipsi species intelligibiles inindere.

46 Respondeo secundo, admittendo secundam partem dilemmatis, quod scilicet in illo casu nihil aliud a se per proprias vires posset cognoscere. Ad probationem in contrarium, dico non esse mirum, quod Angelus, absque aliquo quod sua natura debetur, productus, esset imperfectior secundum quid anima nostra, habente illud omne quod sibi a natura debetur. Sicut non esset mirum, quod anima nostra sine intellectu agente & virtibus sensitivis creata, nihil posset intelligere, subindeque esset secundum quid vilius bruto.

47 Obijciunt tertio: Quae sunt in inferioribus dicentia perfectionem, potiori jure sunt in superioribus: Sed abstrahere species a rebus sensibilibus, dicit perfectionem, & convenit animae rationali, beneficio intellectus agentis: Ergo a fortiori convenit intellectui Angelico.

48 Respondeo distinguendo Majorem: Si dicant perfectionem simpliciter, & ab omni imperfectione deponatur, concedo Majorem: si dicant perfectionem solum secundum quid, & imperfectionem admixtam, nego Majorem. Sicut enim licet intelligere per discursum, & componendo ac dividendo, sit aliqua intellectus humani perfectio; tamen quia est solum perfectio secundum quid, habens admixtam imperfectionem, intellectus Angelico non convenit, ut infra videbimus. Ita pariter, quia habere vim educendi species ex rebus sensibilibus, non dicit perfectionem simpliciter in nobis, sed secundum quid tantum, cum supponat imperfectionem potentialitatis & inferioritatem in gradu intellectuali, non debet reperiri in Angelis.

49 Obijciunt quarto: Non minoris efficacia est obiectum intelligibile in actu, quam sensibile in actu intra suam lineam: Sed sensibile in actu diffundit speciem in sensum: Ergo etiam obiectum intelligibile in actu, qualis est res spiritualis, diffundit speciem sui in intellectum angelicum, utpote non dependente a sensibus: Ergo quavis Angelus non accipiat species a rebus sensibilibus, eas tamen habent a rebus immaterialibus.

50 Respondeo quod est sensibile in actu diffundit speciem in sensum, intelligibile tamen in actu non immittit speciem in intellectum. Ratio disparitatis est, quia sensibile in actu habet hanc virtutem ex eo quod est obiectum potentiae aptae recipere species successive; intelligibile vero in actu est obiectum proportionatum potentiae, quae naturaliter est in actu respectu omnis intelligibilis; quatenus eundem intelligibilem formam postulat habere ab initio suae conditionis, & eam actu recipit a Deo: unde intelligibile in actu, non habet virtutem diffundendi suam speciem in praedictam potentiam; quia nulla datur virtus activa cui non correspondeat aliqua passiva. Neque ex hoc sequitur, quod fit minoris efficaciae, quam sensibile in actu; sicut nec sequitur quod fit minoris efficaciae, quam ignis verbi gratia, quavis non possit calefacere: quia cum hoc fiat quod fit principium perfectioris & immaterialioris operationis, quam obiectum sensibile, & perfectiori modo, nimirum per modum speciei impressae, ad sui cognitionem concurrat, ut dicemus disputatione sequenti; & sic quavis non habet illam vim diffundendi speciem, est tamen simpliciter efficacius, quam obiectum sensibile.

51 Obijciunt quinto: Si species Angelorum essent infusae a Deo, & non a rebus acceptae, essent supernaturales, quod

enim a Deo infunditur, & ab illo solo fieri potest, supernaturale est.

Respondeo species non esse supernaturales, licet infundantur a Deo; quia non infunduntur a Deo ut auctore supernaturali, sed a Deo ut operante iuxta naturalem capacitatem Angelis, & exigentiam ejus: sicut infundit & creat animam rationalem, quando materia est disposita. Ita S. Thomas infra quest. 89. art. 1. ubi tertio loco sibi obijcit: quod si anima separata intelligeret per species intelligibiles divinitus infusas, haec cognitio non esset naturalis, sed gratiae. Et respondet negando hoc sequi: Quia (inquit) Deus est auctor non solum influentia gratiae immixtae, sed etiam naturalis.

Obijciunt ultimo: Si Angelus non acciperet species a rebus, sed eas ab initio suae productionis haberet, cognosceret futura contingentia, & cogitationes cordium, etiam quando manent secreta, utpote cum ad illorum cognitionem requirantur solum potentia cognoscitiva, & species intelligibiles illorum representativa: Sed hoc dici nequit, ut patebit disputatione sequenti: Ergo nec illud.

Respondeo negando sequelam: nam ut ibidem ostendimus art. 4. & 5. quavis species futurorum contingentium, & cogitationum cordis, sint representativae illorum in actu primo; ad hoc tamen ut ea representent in actu secundo & in exercitio, requirunt, tanquam conditio sine qua non, existentia futurorum, & manifestatio cogitationum cordis.

ARTICULUS III.

An species per quas Angelus intelligit, ab eius essentia fiant ut propriae passiones?

§. I.

Hac sententia ut probabilior eligitur.

DEO igitur, species intelligibiles Angelorum non esse proprie & in rigore proprietates ipsorum.

Probatur primo ex D. Thom. infra quest. 89. art. 1. ad 3. ubi ait: Anima separata non intelligit per species infusas &c. sed per species ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut & anima substantia separata. Et art. 3. in corp. Anima separata (inquit) intelligit per species quas recipit ex influentia divini luminis, sicut & Angeli. Ergo sicut species non fiunt ab essentia animae separatae, ut propriae ejus passiones, ita nec ab essentia Angelis.

Confirmatur: Quando D. Thomas loquitur de speciebus Angelicis, dicit illas esse infusas a Deo: quod tamen esset falsum, si essent verae proprietates; potius enim deberent dici concretae, aut eductae de potentia subiecti, quam infusae, quia essent productae per eandem actionem qua ipsa substantia Angelis; nam actio agentis quodam veluti ordine terminatur primo ad essentiam, & secundo ad proprietates, ut docetur in 2. Physicorum.

Probatur secundo conclusio ratione fundamentali. Quilibet natura ex se & ab intrinseco determinata est ad habendas has proprietates, potius quam alias: v. g. natura humana ab intrinseco determinata est ad sensibilitatem; natura equi ad insensibilitatem &c. Sed natura angelica ex se & ab intrinseco non est determinata ad habendas has potius quam illas species, sed hoc pendet solum ab extrinseca & libera Dei voluntate: Ergo species intelligibiles non fiunt ab essentia Angelis tanquam verae & rigorose proprietates. Major patet, Minor probatur. Certum est Angelum non habere omnes species rerum naturalium, possibilem; ab initio suae creationis, sed solum omnium generum & specierum rerum existentium; quia alias cum sint possibilis infinita entia naturalia, intellectus Angelis esset simpliciter & actu infinitus in esse intelligibili: quod vero habet species rerum existentium, non provenit ex determinatione natura angelica, sed ex decreto Dei; quo disposuit has quae modo existunt creaturas in esse ponere: unde si decrevisset aliud universum constans ex aliis speciebus & generibus rerum producere, Angelus non habuisset eas quae modo habent species, sed omnino diversas: & si insinuas sacro plures Angelos, vel plures naturas rerum; plures species intelligibiles mensuris Angelicis impressisset, ut ait S. Thomas hic q. 56. art. 3. ad 4. Ergo natura angelica ex se & ab intrinseco ad habendas has potius quam illas species determinata non est.

Dices naturam Angelis esse determinatam ad habendas species rerum naturalium, supposito quod illae existant; & hoc

& hoc sufficere ut vere ab ea dimanent per modum passionum.

Sed contra primo: Materia substantialis, hoc ipso quod est a Deo creata, habet naturalem determinationem ad habendam aliquam formam; hoc tamen non sufficit ad hoc ut talis forma vere ab ea dimanet per modum proprietatis: Ergo quavis natura angelica habeat predictam determinationem ad species, illa tamen non sufficit ut fiat ejus proprietates: maxime quia intellectus Angelus est determinatus ad habendas species rerum naturalium, supposito quod existant, ex eo quod est ex se pura potentia, quae naturaliter exigit actuari ab intelligibili in actu; unde comparatus ad species, per modum tantum principii passivi & potentialis, non autem ullo modo per modum principii activi; quod tamen requiritur ad passionem resultantiam.

Contra secundo: Prius natura species representativa rerum naturalium fuerunt in mente Angelorum, quam res ipsae existerent: Ergo non poterunt res ipsae nondum existentes esse conditiones, sine quibus species illa per modum passionum non resultarent ab essentia & intellectu Angelorum.

Adde quod, non congruit limitationi naturae Angelicae, ut possit esse ita proportionata cuilibet universo possibili, ut eo existente, per naturalem resultantiam emitteret ex se species representativas illius.

60 Tertio probatur conclusio ex variis absurdis & inconvenientibus, quae videntur sequi ex adversa sententia. Nam si species intelligibiles Angelorum essent eorum proprietates, sequeretur primo Deum non potuisse in alio universo creare Angelos qui modo sunt: Sed hoc videtur absurdum, cum Angeli qui nunc existunt non pendant essentialiter ab hoc universo: Ergo, &c. Sequela probatur: Species quas habent Angeli qui sunt in hoc universo ita representant naturas specificas hujus universi, quod non representant alias: Ergo si idem Angeli ponerentur in alio universo: deberent habere alias species, & consequenter alias proprietates: Atqui mutatis proprietatibus, non essent idem Angeli qui modo sunt: Ergo si species intelligibiles Angelorum, essent eorum proprietates, Deus non potuisset in alio universo creare Angelos, qui modo sunt. Immo eadem etiam ratione sequeretur Deum non posse creare in hoc universo unum Angelum ex possibilibus in alio universo. Sequeretur etiam, quod si Deus crearet unum Angelum perfectiorem omnibus illis qui nunc existunt (quod possibile esse nemo dubitat) talis Angelus vel non posset cognosci illo modo ab his qui nunc sunt, vel si cognosceretur, deberet Deus mutare istorum essentias: quia deberet eis dare speciem representativam illius Angeli superioris, quae esset nova illorum proprietates, requirens proinde novam essentiam.

Denique, si species Angeli ab ejus essentia dimanarent tanquam proprietates, sequeretur Angelum posse per suam essentiam cognoscere alia a se: Sed hoc est falsum, ut patet ex articulo primo hujus disputationis, Ergo, &c. Sequela probatur: Qui comprehendit aliquam essentiam, cognoscit in ea omnes proprietates naturales: Ergo si hujusmodi sunt species intelligibiles, Angelus comprehendens propriam essentiam, cognosceret omnes species ab ea manantes, ac per consequens objecta per tales species representata: cum species intelligibiles tamant specificationem & distinctionem ex objectis.

Respondet Nazarius, species intelligibiles esse proprietates naturae Angelicae, non quatenus sunt representativae obiectorum, sed quatenus sunt quaedam accidentia in ordine physico & entitativo: unde comprehensa essentia Angeli, species ejus intelligibiles cognoscuntur secundum esse entitativum quod habent, & quatenus sunt qualitates, non vero secundum esse intentionale & representativum: quod tamen posterius esset necessarium ad hoc ut Angelus cognoscendo suam essentiam, & species, in illa cognosceret alia a se: quia species secundum suum esse entitativum non continent objecta; sed tantum secundum esse intentionale & representativum.

61 Sed contra primo: Cum esse representativum in specie fit per se primo intentum a natura, esse vero entitativum secundario solum intendatur ab illa: non potest species, secundum esse entitativum considerata, comparari ad essentiam Angeli per modum proprietatis rigorose, nisi etiam eodem modo compararetur ad illam secundum esse representativum, utpote cum secundarium necessario sequi debeat modum & rationem primarii.

Secundo, si species intelligibiles essent naturae Angelicae proprietates, hoc haberent in quantum sunt principia operationis propriae Angelorum: Sed non sunt illius principia, ratione esse entitativi formaliter (quamvis tale esse materialiter seu concomitantem ad illam requiratur) sed ratione esse intentionalis & representativi; sic enim sunt formae intellectus, & quasi semina obiectorum: Ergo si sunt proprietates, id debet illis convenire secundum esse intentionale, & representativum.

Tertio, esse entitativum & esse representativum spe-

ciei intelligibilis non producantur distinctis actionibus: unde si species Angelorum secundum esse intelligibile non dimanant ab essentia Angeli, sed producantur a Deo per actionem distinctam ab illa quae producit substantiam Angelicam, oportet quod etiam secundum esse entitativum terminent propriam actionem quae fit educio, atque adeo quod non sint proprietates, etiam secundum esse entitativum.

Respondet secundo Bannez: quod licet species intelligibiles secundum esse tam representativum quam entitativum dimanent a natura Angeli tanquam proprietates, quia tamen non continentur formaliter in illa, sed tantum virtualiter, sive radicaliter; ex eo quod comprehenditur essentia Angeli, non sequitur quod ejus species intelligibiles, & objecta per illas representata, secundum proprias & distinctas eorum rationes cognosci debeant; ut enim hoc frequatur, non sufficit continentia virtualis hujusmodi specierum in essentia Angeli, sed requiritur formalis.

Verum haec etiam responsio facile potest conitari. Constat enim res distincte & proprie cognosci per causas suas, immo tunc est scientifica & propria rei cognitio, quando per suas causas cognoscitur; & tamen res five effectus non continentur in suis causis, nisi radicaliter & virtualiter, formaliter quippe non sunt nisi in se & extra causas: Ergo si species intelligibiles quibus Angelus alia a se cognoscit, sint rigorose proprietates ipsius substantiae: non obstante quod radicaliter solum in illa continentur, si ipse substantia illa comprehendatur ab Angelo, poterit per actum perfecte & distincte cognoscere suas species, nec non objecta per illas representata.

§. II.

Solventur objectiones.

62 Obijcies primo: D. Thomas hic art. 2. species Angelorum vocat formas illas connaturales: Sed non possunt se appellari, si ab illorum essentia ut proprie passiones non fluunt: Ergo species Angelorum sunt proprie & in rigore illorum proprietates.

63 Confirmatur: Idem S. Doctor infra q. 64. art. 1. probat cognitionem naturalem Daemonum non esse ablatam ut diminuat per peccatum; quia sequitur eorum naturam. Et hic q. 54. art. 4. ad 1. ait quod in Angelo non generatur scientia, sed naturaliter addit: Atqui si species non resultarent ab essentia Angeli ut proprie passiones, & non posset dici quod scientia sequitur naturam Angeli, & naturaliter illi addit: Ergo idem quod prius.

Respondet ad argumentum, concessa Majori, negando 64 Minorem; licet enim species intelligibiles Angeli non fluant ab ejus essentia ut proprie passiones, possunt tamen dici formae illi connaturales; & hoc ex triplici capite. Primo quidem quia sunt debite Angelo: cum enim ille fit perfectissimus inter creaturas intellectuales, exigit connaturaliter esse in actu primo completo ad intelligendum, & ad cognoscendas cunctas rerum naturas ad ordinem hujus universi pertinentes, ut articulo precedenti declaravimus. Secundo, quia Angeli species illas simul cum sua natura in instanti creationis receperunt, juxta quem modum etiam justitia originalis, si Adam non peccasset, diceretur connaturalis posteris, & omnes cum justitia originali nascerentur. Tertio species dicuntur connaturales Angelo, propter potentiam & aptitudinem passivam naturalem, quam ad illas habet intellectus Angelicus; secundum quam rationem etiam receptio lucis dicitur connaturalis diaphano. Unde S. Thom. 1. 2. q. 6. art. 5. ad 2. Dicitur aliquid naturale duplitem modo quia est a natura sua a principio activo; sicut calefacere est naturale igni: alio modo secundum principium passivum, quia scilicet est innata inclinatio ad recipiendum actionem a principio extrinseco; sicut manus calida dicitur esse naturalis, propter aptitudinem naturalem caelestis corporis ad calorem motum.

Ad confirmationem respondeo, D. Thomam primo lo-

65 quod solum velle quod cognitio naturalis, subindeque species intelligibiles, consequantur naturam Angelicam, consecutione debiti, non emanationis: ad quod sufficit quod Angelus exigit naturaliter species sibi communicari. In secundo vero loco, ly naturaliter, contraponitur huic quod est recipere scientiam per acquisitionem & discursum.

Obijcies secundo: Accidentia quae producantur per eandem actionem quae producit substantiam, sunt proprietates illius: Sed species intelligibiles per eandem actionem qua fit Angeli substantia, producantur, scilicet per creationem; concaveantur enim cum ipsa Angeli substantia, non vero ex illa educuntur, tum quia educio praesupponit subjectum, haec vero species incipiunt cum ipsa substantia Angeli: tum etiam quia educio fit per transmutationem subjecti, Angelus autem non transmutatur in productione specierum intelligibilium: Ergo species intelligibiles Angelorum, sunt eorum proprietates.

Respondet Joannes a S. Thoma, negando Majorem: Non 67 tantum

tantum enim proprietates, sed etiam quaecumque accidentia alicui connaturaliter debita, sive sint proprietates, sive non, in instanti generationis per eandem actionem per quam fit subjectum producantur: unde cum species intelligibiles sint debita Angelis in instanti creationis; quamvis non sint rigorose illorum proprietates, eo quod substantia Angeli non determinet Deum per modum principii activi, sed tantum passivi ad illas producendas; tamen per eandem actionem creativam, qua fit substantia.

63 Haec solutio probabilitate non caret: melius tamen respondetur, data Majori, negando Minorem: hujusmodi enim species per actionem educitivam producantur. Ad probationem in contrarium, dicendum est, ad educationem non requiri necessarium quod subjectum supponatur prius tempore productum, & forma educenda privatum, sed sufficere quod praecedat formam prioritate naturae, & producat per actionem distinctam ab ea qua forma producit: unde educio non debet fieri semper cum actuali transmutatione subjecti, sed sufficit quod de se sit transmutativa illius. Patet hoc in gratia caelata Angelis, & Adamo in instanti creationis: illa enim, juxta communem sententiam, non fuit creata, sed de potentia obedientiali illorum educita, quia licet subjectum non precesserit in aliquo instanti privatum hujusmodi forma: Deus enim (inquit August. 12. de Civit. c. 9.) erat in Angelis simul condens naturam, & largiens gratiam, fuit tamen per distinctam actionem productum: unde licet ibi non fuerit actualis subjecti transmutatio, illa tamen actio ex se erat transmutativa illius, utpote productiva formae quae non erat cum eo necessario connexa, & quae proinde poterat illud prius tempore productum supponere. Idem cum proportionem dicendum est in presenti.

69 Obijcies tertio. Nulla res patitur violentiam per hoc quod sibi auferatur accidentia communia, sed tantum si auferatur propria: Atqui si Angelus produceretur sine speciebus, pateretur violentiam, sicut & nunc si ab eo auferentur: Ergo illa sunt vere & rigorose proprietates, & non solum accidentia communia naturae Angelicae.

70 Respondeo, ut aliquid dicitur pati violentiam: sufficere quod ei denegetur vel auferatur id quod requirit ad suum complementum, & ad quod per modum principii activi vel passivi inclinatur: nam causa secunda habens objectum applicatum, & virtutem proportionatam in suo ordine, esset in statu violento, si negaretur illi concursus Dei; & corpus ultimo organizatum, si non infunderetur anima; licet causa secunda ad Dei concursum, & corpus ad animam, non habeant inclinationem activam, sed tantum passivam: unde cum natura Angelica species intelligibiles ad suum complementum requirit, & illas per modum principii, saltem passivi, connaturaliter respiciat, ut supra vidimus, Angelus pateretur violentiam, si abique illis produceretur, vel si nunc ab eo auferentur, quamvis ab ejus essentia active non dimanet ut proprie passiones.

71 Obijcies ultimo: Si species Angeli non essent naturales ejus proprietates, homo esset perfectioris naturae quam Angelus: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Natura intellectiva quae potest seipsam reducere in actum ex propriis principis, perfectior est ea quae ab intrinseco, & ex propriis principis non potest se in actum reducere: Atqui natura humana ratione intellectus agentis potest seipsam reducere in actum, acquirendo species: quod tamen non potest natura angelica, si species intelligibiles ab ejus essentia non fluant tanquam proprietates: Ergo si species Angeli non essent naturales ejus proprietates, homo esset perfectioris naturae, quam Angelus.

72 Respondeo negando sequela: ad cuius probationem, nego absolute Antecedens. Nam ex Aristotele 2. de celo textu 60. ex D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 5. ad 2. natura illa quae bonum suum consequitur nobiliori, & nobiliori modo, etiam si id fiat cum exteriori auxilio, perfectior est & nobilior illa quae bonum suum imperfectius consequitur ex seipso: sicut homo est nobilior brutis, etsi non possit acquirere propriam perfectionem & beatitudinem, nisi cum auxilio externo Dei.

ARTICULUS II.

Utrum Angeli per species universales intelligant, & eo universales, quo ipsi sunt in natura superiores.

73 Quesitio non procedit de universali in causando, quo pacto Deus & corpora caelestia dicuntur universalia, quia plures & diversos causant effectus: nec de universali in predicando, quomodo naturae communes, & per operationem nostram intellectus a suis inferioribus abstractae: per comparationem ad illa appellatur universales: sed de universali in representando, quod scilicet quae ipsa substantia simul representant, non confuse & secundum aliquam rationem communem in qua conveniunt, sed clare & distincte, & secundum proprias rationes specificas & individuales. Unde sensus tituli est, an Angeli intelligant per species plura objecta clare ac distincte representan-

tes, & tanto plura, quanto sunt in natura superiores & perfectiores?

Negat Scotus, & omnes illi qui docent Angelam de sumere suas species ab objectis; quibus favet Vasquez hic disp. 203. c. a. dicens ex hypothese (quam tamen negat) quod dantur species in Angelis, adhuc non posse cum fundamento, immo nec cum probabili conjectura affirmari, quod superior per speciem universaliorem naturas sibi inferiores intelligat.

Sententia tamen affirmans, communis est apud Theologos, eamque expresse docet S. Thom. hic art. 3. omnesque ejus Discipuli; licet Ferraricensis a contra Gentes cap. 98. ejus doctrinam censet esse intelligendam de Angelis superioribus in hierarchia vel ordine, non in gradu specifico & natura: alii vero existimant species Angeli superioris dici universales, non quod plures naturas & quidditates specificas representent, sed solum quia representant plura ejusdem naturae individua: aut plures ejus proprietates & modos.

§. I.

Vera sententia statuitur.

74 Dico primo: Angeli intelligunt per species universales, hoc est plura objecta simul representantes.

Probatur primo: Species Angelicae non sunt desumptae a rebus, sed immediate a divina essentia exemplata ac derivata, ut art. 3. ostendimus: At quamvis species ab objecto causatae, illam solum quidditatem & naturam a qua causatae sunt, representent, quia ex ipso objecto a quo causantur determinationem & limitationem habent: illa tamen quae immediate exemplata ac derivatae sunt a divina essentia, possunt plures naturas representare: sicut & ipsa divina essentia a qua derivatae sunt, & cuius sunt effluxus & participationes, ut est species & exemplar rerum, omnes naturas creatas & creabiles clare & distincte representat: Ergo Ang. intelligunt per species plura objecta simul representantes.

75 Confirmatur: Species quas intellectus noster exprimit ex aliis preconceptis, puta species montis aurei, chimerae, &c. plura continent diverse naturae; quia non exprimuntur nec consequenter mensurantur a rebus ut sunt in se, sed ut sunt in intellectu, qui potest adunare quaecumque distincta sunt. Item figura impressa cere & chartae continet canem, leonem, & alia, cum sit tamen una figura: quia non mensuratur a rebus prout sunt in seipsis, sed juxta modum essendi quem habent in sigillo in quo uniantur, & a quo derivantur. Denique imago domus expressa in charta ab artifice, continet ligna, lapides, & cetera ad domus constructionem requista: quia non accipit unitatem ab illis rebus, ut in seipsis, sed ut sunt in intellectu eas adunante, & ex illis unam formam ideam domus faciente. Cum ergo pariter species angelicae non exprimantur, nec mensurentur a rebus quas representant, ut sunt in seipsis, sed prout sunt in essentia divina ut in specie & idea, sicut divina essentia, una & simplicissima existens, plures naturas & quidditates clare & distincte representare potest, ita & species angelicae ab illa derivatae & exemplatae.

76 Probatur secundo, Virtutes in causis interioribus divise, adunantur in causis superioribus & altioris ordinis: Sed species impressae sunt quaedam virtutes representativae, aliquo modo complentes naturam intellectivam: Ergo quae in speciebus inferioribus sunt divisa & dispersa in representando, adunantur in superioribus; atque adeo cum species angelicae sint superiores, habebunt virtutem representandi plura; quae non representantur nisi per plures species inferiores. Major probatur ex illo communi axioma Dionysii: Quae sunt dispersa in inferioribus, adunantur in superioribus. Et patet etiam inductione: nam species sensibilis, verbi gratia, visibilis, representat sensibile proprium & sensibile commune, quae tamen in esse entis distinguuntur realiter. Deinde objecta omnia quae per singulas species singulis sensibus externis distincte representantur: per unam speciem sensus communis representantur; & omnia quae a sensibus tam internis quam externis percipiuntur sub distinctis realiter specificativis, attinguntur ab intellectu sub unica ratione formali. Idem etiam apparet in artibus & scientiis, quae quanto superiores & perfectiores sunt, tanto objectum suum modo simpliciori & universaliiori attingunt, ut infra exponemus.

77 Probatur tertio conclusio: Perfectissimus creaturis universis debet convenire perfectissimus modus cognoscendi; dummodo ille sit possibilis creaturae, nullamque involvat repugnantiam: Sed modus intelligendi per species universales in representando, multo perfectior & nobilior est modo cognoscendi per species particulares, seu unam tantum naturam representantes, ut de se constat; & aliunde modus ille cognoscendi nullam involvit repugnantiam, ut ex argumentorum solutione patebit: Ergo angelicae naturae denegari non debet.

78 Dico secundo: Angelus quo superior est in essentia, eo per

per species universales, five plura distincte repræsentant, intelligit.

Probatur ratione Divi Thomæ hic art. 3. que sic in formam reducta potest proponi. Quo Angelus est similior Deo in ordine intellectuali, eo per species universales debet alia a se cognoscere; sed eo est similior Deo, quo est superior in essentia: Ergo quo superior est alteri in essentia, eo per species universales debet intelligere. Minor constat, Major vero probatur. Quo Angelus est similior Deo in ordine intellectuali, eo magis divinas perfectiones ad talem ordinem pertinentes participare debet: Sed perfecte intelligere plura per unam speciem universalem, est perfectio divina spectans ad ordinem intellectuale: Ergo quo Angelus est similior Deo in gradu intellectuali, eo magis debet ejusmodi perfectionem participare; subindeque per speciem plura distincte repræsentantem, atque ideo universaliorem, intelligere. Minor patet, Major vero ex eo manifesta videtur, quod quanto magis creatura in suo ordine accedit ad Deum, tanto magis perfectiones divinas ad talem ordinem pertinentes participare debet.

89 Dices, Hoc esse verum quando perfectio divina participabilis est a creatura: vis autem cognoscendi omnia per unicum speciem, non est a creatura participabilis, sicut nec ratio actus puri & per essentiam.

Ut hæc responsio constetur, & ratio D. Thomæ magis illustretur & stabilietur, advertendum est cum Cajetano hic, perfectiones Dei alias esse formaliter communicabiles, secundum id quod formaliter & simpliciter exprimitur; cujusmodi sunt sapientia, bonitas &c. alias vero incommunicabiles, ut esse actum purum, ens per essentiam &c. Inter quas hæc est differentia quoad propositum, quod quavis creatura possit esse similis Deo quoad omnes, secundum eas quodammodo ad eum appropinquando; tamen appropinquo secundum perfectionem prioris generis, fit per majorem accessum ad illas; hoc est per hoc quod magis & magis participatur perfecte quam dicit earum ratio formalis. At vero major secundum alias appropinquo, fit potius per majorem recessum ab opposito: in quo quidem recessu, quamvis involvatur participatio perfectionis quam in se dicunt, non attingitur tamen, ut habeatur illud quo formalissime simpliciter constituitur. Quantumcumque enim aliquid appropinquet Deo quoad actum, nunquam tamen habebit rationem formalem actus puri simpliciter, sicut quod appropinquet Deo quoad sapientiam, habet formaliter rationem sapientie simpliciter dicta.

80 Advertendum præterea, supremam universi portionem, id est Angelos, ex sua natura sibi vindicare assimilationem cum Deo, secundum omnes perfectiones simpliciter: cuiuslibet enim Angelo inest essentia, bonitas, sapientia, veritas, &c. In hoc ergo consistit tota vis rationis D. Thomæ, quod Angeli superiores debent intelligere per pauciores & universales, quia sunt similiores Deo, quoad omnes perfectiones simpliciter, non solum enim intelligere est perfectio simpliciter, sed etiam intelligere omnia per unum: unde quavis intelligere per unum, non possit ita participari a creaturis, ut illud formaliter & simpliciter habeatur, potest tamen participari per recessum ab opposito, ita ut minus de multiplicitate medi ad intelligendum habeatur.

81 Hinc rationi affinis est alia, quam habet idem S. Doctor e. cont. Gent. cap. 98. & que potest sic proponi. Intellectus angelicus est medius inter intellectum divinum & humanum: unde cum medium debeat aliquid participare de utroque extremo, Ang. habet aliquid de puritate & actualitate intellectus divini, & aliquid de potentialitate & compositione intellectus humani; & per consequens non intelligit omnia per unicum speciem, sicut Deus, nec per species ita particulares, sicut anima nostra; sed per species magis vel minus universales, juxta majorem vel minorem ejus accessum ad Deum, & majorem aut minorem ejus recessum ab anima nostra.

82 Tertia ratio que sumitur ex q. 8. de verit. art. 10. hæc est: Quo aliqua species est magis actualis & immaterialis, eo etiam debet esse magis universalis: Sed species quibus Ang. intelligunt, eo sunt magis actualis & immateriales, quo Ang. sunt superiores in natura: Ergo quo Ang. erit superior in natura, eo intelliget per species universales. Minor patet: quia quo intellectus Ang. sunt superiores, eo sunt magis actualis & immateriales; dimanant enim a substantia magis actuali & immateriali: Ergo species eo erunt magis actualis & immateriales, quo intellectus quem afficiunt erit superior: perfectivum siquidem & perfectibile, intellectivum & intelligibile, debent sibi correspondere, præsertim in immaterialitate utpote, que est radix tam intellectualitatis, quam intelligibilitatis. Major vero probatur: Tum quia proprium est materie contrahere, limitare, & individuare; subindeque quo aliquid magis abstrahit a materia, eo erit universalis: Tum etiam inductione: nam sensus internus, quia est magis immaterialis quam externus, cognoscit per species magis universales, & intellectus adhuc per universa-

liores, quia est magis immaterialis, quam sensus internus; denique Deus quia est actus purus & summe immaterialis, intelligit per speciem magis universalem, quandoquidem se & alia per unicum speciem intelligit.

83 Probatur denique conclusio ratione desumpta ex 2. sent. distinct. 3. q. 2. art. 2. In omnibus scientiis & artibus, five speculativis, five operativis, oportet quod illa que est altior & ordinativa aliarum, consideret rationes magis universales: Sed Angeli superiores habent scientiam ordinativam scientie inferiorum, tam præctam, quam speculativam; cum superiores inferiorum actus & officia disponant, eosque perficiant & purgant, ut docet Dionysius: Ergo scientia Angelorum superiorum est universalior, & consequenter habet species universales. Major probatur inductione: Nam sub civili scientia est ars militaris, sub militari equestris, & sic deinceps: unde propterea civilis considerat bonum humanum absolute; militaris vero bonum humanum, ut determinatum ad res bellicas: & ob hæc rationem scientia inferior accipit sua principia a superiori, per quas suas conclusiones a priori demonstrat. Et hoc adhuc clarius est in scientiis speculativis: nam metaphisica, que est ordinativa aliarum, in quantum examinat principia universalissima, considerat rationem entis absolute; alia vero scientie speculativæ versantur circa aliquam determinatam ipsius partem.

84 Hinc rationi D. Thomæ consonat id quod docet Dionysius cap. 12. celestis Hierarchia: scilicet quod superiores Ang. participant scientiam magis in universali, quam inferiores. Consonat etiam id quod dicitur in libro de causis: nempe quod intelligentie superiores habent formas magis universales.

Neque valet responsio Vazquez, dicentis Dionysium loco citato nullam facere mentionem de speciebus angelicis, sed sciam intendere quod Angeli superiores habent scientiam, que ad plura objecta se extendit quam scientia inferiorum. Non valet, inquam, hæc solutio: quia ibi Dionysius loquitur de scientia naturali Angelorum: hæc autem in superioribus non se extendit ad plura objecta, quam in inferioribus, cum totum universum, & quiddam naturalis est ordinis, ipsis etiam inferioribus Angelis pateat, ut infra dicemus, & ipsæmet Vazquez concedit. Unde licet Dionysius ibi non faciat expressam mentionem de speciebus angelicis: ex hoc tamen quod Angeli superiores participant scientiam magis in universali, quam inferiores, aperte colligitur, species in Angelis superioribus esse universales, quam in inferioribus: cum enim, ut recte arguit Suarez, superiores Angeli non attingant aliqua objecta que non cognoscantur ab inferioribus, loquendo de scientia rerum naturalium: non potest testificari quod superiores Angeli participant scientiam magis in universali, quam inferiores, nisi quia primi intelligunt per species universales quam alii. Unde idem Dionysius ibidem supra c. 7. dixerat, quod Angeli de supremo ordine omnia intelligunt que inferiores, sed in paucioribus & magis unitis radiis, nomine radiorum vocans species intelligibiles; quia Angelus mediis illis ita rerum omnium notitia splendet, sicut Sol suis fulget radiis.

§. II.

Corollarium notatis digna.

85 Ex dictis colliges primo, nullum de facto esse Angelum, qui non habeat species universales repræsentantes plures naturas. Angelus siquidem infimus magis excedit hominem in perfectione intellectuali, seu in actualitate & immaterialitate, quam Angelus supremus excedat infimum: Sed propter excessum in hujusmodi perfectione, Angelus supremus habet species universales, & plures naturas repræsentantes, quam species infimi: Ergo etiam Angelus infimus habebit species universales & plura repræsentantes, quam repræsentat species hominis.

86 Confirmatur: Ratio ob quam Angeli possunt intelligere per species universales, est quia intelligunt per species acceptas a rebus, sed a Deo naturaliter inditas: At hoc commune est omnibus: Ergo possunt per species universales omnes Angeli intelligere.

Colliges secundo, quod quando D. Thomas hic art. 3. ait: *Quanto Angelus fuerit superior, tanto per pauciores species universales intelligibilibus apprehendere poterit; & ideo oportet quod ejus forma sine universalitate: non loquitur de superioritate in hierarchia, vel ordine (ut Perrariensis exillimat) sed in gradu specifico, & in natura, ut alii Thomista interpretantur.*

Patet etiam hoc corollarium: Tum quia nomen illud, *super*, absque ullo addito, superioritatem in natura significat: Tum etiam, quia ratio qua Divus Thomas utitur ad hoc probandum, id aperte declarat. Hæc nempe ratio sumitur ex eo quod Angelus superior majorem habet assimilationem ad Deum, ut antea declaravimus: sed non solum Angelus qui sunt superiores in hierarchia & ordine, sed etiam illi qui sunt superiores in natura & gradu specifico, quamvis

quavis sint ejusdem ordinis vel hierarchia, magis assimilantur Deo, quam alii illis inferiores in perfectione naturæ: Ergo D. Thomas non solum loquitur de Angelis superioribus in hierarchia, vel ordine, sed etiam de superioribus solum in gradu specifico & in natura.

87 Confirmatur ex eodem S. Doctore q. 8. de verit. art. 10. ubi docet Angelum tanto per universiores species intelligere, quanto plus in illo fuerit de actu, & minus de potentia: Sed hoc constat inveniri in quolibet Angelo superiori quoad gradum specificum, quamvis non sit superior quoad hierarchiam, vel ordinem: Ergo idem quod prius.

Colliges tertio: Universalitatem specierum angelicarum consistere in hoc quod plures naturas seu quidditates specificas repræsentent. Non potest enim hæc specierum universalitas consistere in hoc quod repræsentent plura individua actualia ejusdem speciei: cum etiam infimus Angelus in specie repræsentante naturam specificam, cognoscat omnia ejus actualia individua. Nec consistit etiam in hoc quod repræsentent plura possibilis; quia Angelus non habet naturalem inclinationem ad cognoscendas res mere possibiles; cum illa non sint partes hujus universi. Non consistit insuper in repræsentatione plurium proprietatum ejusdem naturæ: nam eadem species intelligibilis repræsentat quidditatem specificam, & simul ejus proprietates. Nec similiter in præsentatione plurium modorum accidentalium: quia si illi pertinent ad ordinem providentia naturalis, repræsentantur per species que repræsentant quidditates aut singularia quibus accident; si autem spectant ad ordinem gratiæ, & providentia supernaturalis, non cadunt sub cognitione naturali Angelorum, sed cognoscuntur per scientiam infusam, & revelationes extra verbum. Superest ergo ut universalitas specierum angelicarum, consistat in repræsentatione plurium quidditatum pertinentium ad hoc universum.

§. III.

Diluitur fundamenta adversæ sententiæ.

88 Objicies primo contra primam conclusionem. Cognoscere aliquid in universali, est cognoscere illud imperfecte: Sed intelligere objecta per species universales, est ea cognoscere in universali: Ergo est illa imperfecte cognoscere: unde cum cognitio imperfecta non debeat admitti in Angelis, dicendum est illos per species universales non intelligere.

89 Respondo distinguendo Majorem: Cognoscere aliquid in universali, ex parte rei cognita, est cognoscere illud imperfecte, concedo Majorem: Cognoscere aliquid in universali, ex parte medi cognoscendi, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: intelligere objecta per species universales est ea cognoscere in universali; ex parte medi cognoscendi, concedo Minorem: ex parte rei cognita, nego Minorem, & Consequentiam. Solutio est D. Thomæ hic art. 3. ad 2. ubi ait: *Cognoscere aliquid in universali dicitur dupliciter: uno modo ex parte rei cognite, ut scilicet cognoscatur solum universalis natura rei; & sic cognoscere aliquid in universali est imperfectum: imperfecte enim cognoscitur hominem, qui cognoscitur de eo solum quod est animal: alio modo ex parte medi cognoscendi, & sic perfectius est cognoscere aliquid in universali; perfectio enim est intellectus, qui per unum universale medium; rest singula propria cognoscere, quam qui non potest.*

90 Initibus: Cognoscere per speciem universalem, est cognoscere naturam aliquam universalem ut præcisam a singularibus, vel a conditionibus eam contrahentibus: Ergo est cognoscere in universali ex parte rei cognite.

Sed nego Antecedens: nam, ut supra annotavimus, universalitas specierum non consistit in eo quod repræsentent naturam aliquam communem a differentis determinantibus præcisam (sic enim per illas non haberetur nisi confusa rerum notitia,) sed in hoc quod plures naturas specie distinctas, seu plures quidditates specificas, clare & distincte, & secundum proprias illarum differentias, repræsentent.

91 Urgetur: Species intelligibilis desumit suam virtutem specificam ab objecto quod repræsentat, & ejus est formalis similitudo: Ergo repugnat quod species Angelica plures naturas & quidditates specie diversis secundum proprias earum differentias maneat. Consequentia patet: repugnat enim quod unica species habeat plura & diversa specificativa.

Confirmatur: Si species angelica plures naturas, seu quidditates specie diversis, clare & distincte, ac secundum proprias earum differentias, simul repræsentaret, Angelus posset plura ut plura intelligere: Consequens est falsum, ut docet D. Thomas q. 58. art. 2. & pluribus aliis in locis: Ergo & Antecedens. Sequela probatur: Angelus potest simul unico actu cognoscere quæcumque per unam speciem repræsentantur; quandoquidem intellectus angelicus tante est immaterialitatis, quantum ipsa species, atque adeo tantæ intellectualitatis, quantæ intelligibilibus ipsa species:

Theol. Com. Tom. II.

Ergo si species angelica potest simul plura objecta ut plura repræsentare, seu plures naturas & quidditates secundum proprias earum differentias; poterit etiam Angelus plura ut plura simul intelligere.

92 Confirmatur amplius: Si unica species intelligibilis plures naturas & quidditates specie diversis repræsentaret, illa natura esset idem inter se in esse intelligibili: sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud. Probatur Minor: Illa natura uni tertio indivisibili, scilicet speciei, in esse intelligibili identificaretur: species enim est ipsum objectum in esse repræsentativo & intelligibili, ut docent nostri Thomista in libris de anima: Ergo idem identificarentur inter se in esse intelligibili.

93 Hæc difficultas infantia varie occurrit nostri Thomista: Quidam respondent distinguendo Majorem: Species intelligibilis desumit suam unitatem specificam, &c. ab objecto primario, concedunt: a secundario, negant. Et assignant rationem: quia, inquit, species est similitudo formalis objecti primarii, secundarii vero est dumtaxat similitudo virtualis: objectum autem primarium speciei angelicæ, plures naturas specie diversis repræsentantis, est ratio quadam generica illis communis, ipsa vero natura sunt objecta tantum secundaria virtualiter per illam quoad proprias ipsarum differentias repræsentata: atque adeo ab ipsis naturis non sumit species suam unitatem specificam. Ex quo inferunt, Angelum plures illas naturas & quidditates specie diversis cognoscens, plura ut plura non intelligere; quia illas non attingit nisi quatenus in ratione illa generica & communi convenienti & adunantur; sub qua ratione habent modum unius, & non plurium.

94 Sed hæc solutio displicet: Tum quia istam illam speciem angelicam non esse formalem, sed tantum virtualem similitudinem illarum naturarum & quidditatum que repræsentat: Tameam, quia non possunt plures nature clare & distincte, ac secundum proprias differentias, mediante alio objecto prius ac per se repræsentato, cognosci, nisi in illo secundum proprias rationes continentur: nulla autem ratio generica clare & distincte continet inferiora secundum proprias eorum rationes & differentias, sed in potentia tantum & in confuso: Ergo repugnat quod in illa plures nature & quidditates specie diversis distincte repræsententur & cognoscantur secundum proprias differentias: Hoc enim proprium est speciei increate, que cum per se primo repræsentet naturam divinam, in qua sola possunt eminentissime modo plures nature secundum proprias suas differentias contineri, potest habere rationem mediæ, in quo omnes creatura existentis, future & possibile clare & distincte, ac secundum proprias suas differentias repræsententur & cognoscantur.

95 Respondent secundo alii, species intelligibiles, que sunt a rebus acceptæ, suam unitatem specificam ab objectis desumere, secus vero illas que non sunt desumptæ a rebus, sed ab ideis divinis, & specie increata exemplatæ, & derivatæ. Sicut enim objectum scitum est solum mensura scientiæ ejus est causa; ita & objectum repræsentatum est solum mensura ejus speciei que ab ipso causatur: unde cum species angelicæ non sint acceptæ a rebus, & ab illis nec mensurantur, nec specificam unitatem desumunt; sed potius e contra objecti unitas ab unitate speciei dependet, sicut unitas sigillatæ ab unitate sigilli. Ita colligitur ex D. Thomæ in 2. dist. 3. q. 2. art. 2. ad 1. dicente: *Est quoddam universale ad rem, quod est prius re ipsa, scilicet formæ domus in mente edificatoris: & per hunc modum sunt universales forme rerum in mente Angelicæ existentis; non ita quod sint operative, sed quia sunt operative similes: atque sicut formæ operative, licet unitatem habeant per ordinem ad suum effectum, eam tamen non habeant ab illis, nec ab ipso mensurantur, sed potius e contra: ita & species universales angelicæ non mensurantur, nec habeant ab objecto suam unitatem, sed potius objectum ab ipsis: istud enim unum est, quia per unam speciem repræsentatur & intelligitur, hæcque unitas sufficit ut sit terminus habitudinis speciei ad ipsum. Adde quod supra disputatione 4. diximus locum Angeli habere unitatem a virtute continentis illum: cum ergo non poterit idem dici de objecto repræsentato per speciem Angelicam, habere scilicet unitatem in ratione objecti a specie illa repræsentante, sicut etiam sigillatum (ut supra dicebamus) unitatem sumit a sigillo, licet res valde diversas exprimat ac repræsentet. Hanc doctrinam & solutionem approbo.*

Alter tamen argumento respondeo, distinguendo scilicet Majorem: species intelligibilis desumit suam unitatem ab objecto quod repræsentat, formaliter & in esse objecti spectato, concedo Antecedens: materialiter & in esse entis considerato, nego Antecedens, & Consequentiam.

96 Explicatur: Sicut Philosophi docent quod res considerata a scientiis diversæ sunt in esse rei, unum tamen in esse scibilis, & in ratione objecti, quatenus subitur eidem rationi sub qua, istdem scilicet principiis, & eidem abstractioni a materia, ut explicari solet in Metaphisica: ita nunc dicimus quidditates & naturas specificas per speciem universalem repræsentatas, esse quidem plures & spe-

die diversis in genere entis, unam tamen in ratione ob-

97 Ex quo patet responsio ad primam conclusionem: licet enim Angelus possit simul & eodem actu cognoscere omnes quidditates seu naturas representatas per speciem intelligibilem universalem...

98 Ad secundam confirmationem neganda est sequela Majoris, quia species intelligibilis universalis, non est adaequata similitudo uniuscujusque ex objectis distinctis...

99 Obijcies secundo contra secundam conclusionem. Si quo Angelus est superior, eo per universales species intelligeret, sequeretur posse dari Angelum qui omnia intelligeret per suam substantiam...

100 Respondeo negando sequelam. Ad probationem dico, data illa hypothese, omnibus Angelis praesentibus superaddendam esse novam speciem, qua representetur Angelus de novo productus...

DISPUTATIO IX.

De Objecto cognitionis Angelicae.

Ad questionem 56. & 57. Divi Thomae.

Objectum cognitionis Angelicae est duplex, spirituale scilicet & materiale; de primo agit S. Doctor q. 56. de altero quasi. 57. Nos vero de utroque in hac disputatione differemus.

ARTICULUS I.

Utrum Angelus cognoscat seipsum per suam substantiam tanquam per speciem impressam & expressam?

§. I.

Utraque pars quasi resolvitur.

1 Dico primo: Angelus seipsum cognoscit per suam essentiam, tanquam per formam five speciem intelligibilem; subindeque non indiget aliqua specie accidentali ad sui cognitionem...

suam essentiam tanquam speciem, cognitione tamen abstractiva seipsum cognoscit per speciem superadditam.

Probatur conclusio ratione fundamentalis. Species intelligibilis est provisa a natura tanquam vicaria ipsius objecti, quando objectum ipsum non potest uniri cum potentia intellectiva in esse intelligibili...

Confirmatur. In visione beatifica Deus per suam essentiam, tanquam per speciem intelligibilem, videtur a Beatis, quia divina essentia, respectu intellectus Beati, habet tres illa conditiones enumeratas...

Dico secundo: Substantia Angelus non gerit vicem speciei expressae in cognitione sui, sed Angelus intelligit se, format aliquid verbum, ab ipsa intellectione & substantia Angelus realiter distinctum...

Ratio etiam id suadet: Hoc enim inter species impressam & expressam reperitur discrimen, quod species impressa est forma intelligibilis, at vero species expressa est in actu secundo intellecta...

Confirmatur: Ut natura Angelus esset verbum, deberet identificare sibi intellectionem, & per consequens esse actus purus in ordine intelligibili...

& consequenter quod intelligere fit ejus esse, subindeque quod fit actus purus in ordine intelligibili. Et hoc est quo intendit S. Thomas locum proxime citato...

7 Confirmatur amplius: Ideo essentia divina potest supplere vices verbi in visione beatifica, quia ipsa est intelligibilis in actu secundo, & actus purus simpliciter...

§. II.

Solvuntur Objectiones.

8 Obijcies primo contra primam conclusionem, auctoritatem D. Thomae ex lib. 3. contra Gentes cap. 51. ubi dicit hoc esse proprium essentia divinae...

10 Obijcies secundo: species intelligibilis uniri intellectui per modum formae ipsam completis & determinantis ad speciem cognitionis: Sed substantia Angelus non unitur proprio intellectui per modum formae completis & actualis ipsam...

11 Confirmatur: Implicat duo habere mutuum dependentiam ad invicem, in eodem genere causae. Sed intellectus Angelus unitur cum essentia tanquam forma cum potentia...

12 Ad objectionem respondeo essentiam Angelus esse simul formam naturalem & intelligibilem, & in quantum formam naturalem, esse subiectum & radicem suarum proprietatum...

13 Ad confirmationem dico, nullam esse inconveniens, duo habere mutuum dependentiam ab invicem in eodem genere causae remoto, dummodo fit in diverso genere proximo...

prout se tenet ex parte existentia, quatenus informat & actu essentiam, reducit etiam ad genus causae formalis universale & remotum: est tamen diversum genus proximum, aut diversa species causalitatis formalis...

14 Obijcies tertio: Nulla substantia creata potest in doctrina D. Thomae esse immediate operativa, ut patet ex dictis disputatione precedenti: Sed si Angelus seipsum intelligeret per suam substantiam, tanquam per formam sui speciem intelligibilem...

15 Respondeo primo, concessa Majori, negando sequelam Minoris. Est enim substantia angelica habet rationem speciei respectu sui intellectus in ordine ad sui cognitionem, non est tamen necesse quod immediate per seipsum, sed sufficit quod mediante intellectu, tanquam sua virtute...

16 Respondeo secundo: quod licet substantia Angelus non possit esse immediate operativa, per modum potentiae, & in esse entitativo, bene tamen per modum speciei, & in ordine intelligibili...

17 Addo, ideo in Schola D. Thomae substantiam non posse esse per modum potentiae proxime operativa in ordine entitativo, quia cum existentia substantiae creaturae & operatio sint actus distincti...

18 Dico: Si substantia Angelus in ordine intelligibili posset esse immediate operativa, & per se primo intellectionem tanquam proprium actum respiceret, sequeretur quod aliqua substantia creata posset aliquid extra proprium predicamentum per se primo respicere...